

Mikhail Shumilin

IN ORATIONES CICERONIS
EMENDATIUNCULAE

Carolo Martino Lucarini quinquagenario sacrum

*Ipse uigorem animi qui mentis uiribus aequas,
ne spernas subito paruumque hoc respice munus!*

Pro Archia 28

Atque ut id libentius faciatis, iam me uobis, iudices, indicabo et de meo quodam amore gloriae nimis acri fortasse, uerum tamen honesto uobis confitebor. Nam quas res nos in consulatu nostro uobiscum simul pro salute huius aequae imperi et pro uita ciuium proque uniuersa re publica gessimus, attigit hic uersibus atque inchoauit. Quibus auditis, quod mihi magna res et iucunda uisa est, hunc ad perficiendum adhortaui.

Ex stemmatibus codicum, quae accipi solebant, restitui debet in archetypo in ultima sententia *ad(h)ortau*i; si uero ea quae arguunt J. De Keyser et T. Deneire accipimus,¹ aut idem aut *hortau*i ille archetypus codex debebat legere. Scholia autem Bobiensia legunt in eodem loco *adorau*i. Certe neque *adhortandi* neque *hortandi* uerbum in Cicerone formas actiuas habere potest;² *adorau*i tamen uox et ipsa non omnino apta huic loco uidetur (et quod ad sensum pertinet enim nimia est, et constructio sic effecta exemplis carere uidetur) et fortasse ex codicum

¹ De Keyser – Deneire 2013; cf. etiam De Keyser 2013.

² Formas actiuas uerbi *adhortor* omnino in tota antiquitate ignorat *TLL* 1. 651. 73 – 652. 68, *hortor* uero uerbum testatur quidem Prisc. *Inst.* 2. 392. 21 Keil *horto* fuisse apud ‘uetustissimos’ (cf. 2. 392. 6 Keil), sed indubitatas formas actiuas eius non ante aetatem recentissimam inuenimus: *TLL* 6. 3. 3007. 21–26.

lectione in simplicius aliquid correcta orta est. Sunt sane codices qui *adhortatus sum*, *hortatus sum* uel *hortatus fui* legant (et recipiunt hoc primum quidam editorum),³ sed mirum esset si nemo scribarum sic actiui generis formas correxisset; mutationem uero ex *adhortatus sum* in *adhortaui* non ita facile explices. His de causis saepe ab emendantibus temptatus est locus. *Adornaui* proposuit R. Klotz,⁴ quae coniectura arrisit A. C. Clarkio,⁵ sed neque hoc uerbum omnino id significare quod hic debetur uidetur.⁶ *Adhortari* coniecit F. Drechsler, uocem *quod* supra delens;⁷ *adhortari* <non destiti> suppleuit K. Busche;⁸ <coepi> *adhortari* nuper excogitauit W. Olszaniec.⁹ Haec corrigendi uia fortasse melior est, sed non ita facile, puto, *r* in *u* corrumpitur. H. Kasten quoque in editione sua propriam coniecturam *adoptaui* recepit,¹⁰ cuius tamen sensus obscurior uidetur.

Indigere quidem emendatione reor locum, sed alia. Fortasse *aduocaui* scribendum est: *c* in *t* in multis scripturis Latinis facillime transit,¹¹ *u* uero saepius in codicibus cum *b* confunditur,¹² quae littera

³ E.g. Reid 1891, 31; Nohl 1984, 12; Müller 1897, 11; Halm–Laubmann 1900, 126; nuper Rzepowski 2007 propter causas rhythmicas *sum adhortatus* legendum arguit.

⁴ Apud Stürenburg 1839, 178.

⁵ Clark 1911, <98>.

⁶ Cf. Cerutti 2006, 77: “Although the meaning of *adornaui* in this context is still not completely clear, the general sense is that because Cicero approved of what Archias had already written, he offered some kind of support (financial? historical details?) so that Archias could finish the poem”.

⁷ Drechsler 1885.

⁸ Busche 1912, 345–346.

⁹ Olszaniec 2010.

¹⁰ Kasten 1966, 44.

¹¹ Bene notum est hoc de litteris minusculis quae dicuntur, sed, cum archetypus hic scholiis Bobiensibus (saec. II–IV, u. Zetzel 2018, 258) antiquior esse debet, notandum est idem uerum esse et in scripturis quae dicuntur cursiua uetus Romana (quod minoris momenti hic est quia in libris scribendis uix ea utebantur) et semiuncialis (eis litteris uel eis similibus debebant quidam libri iam a primis post Christum natum saeculis conscribi: Babcock 2020, 111–113).

¹² Vide Stotz 1996, 255–258, 267–271, et cf. e.g. (ut ex libris geographicis Plinii facilius exempla colligam, ubi in nominibus ignotis saepe peccant scribae) Plin. *NH* 6. 170 *berenicen*] *uerinicen* E^s, 6. 174 *ualitu*] *abalitu* F², *abalitus* P, 6. 191 *bion*] *uion* E^s, 6.194 *isbelos*] *isuelos* E^s, *ballios*] *uallios* PE^s. *Boco* pro *uoco* iam in Pompeis in *CIL* 4. 4186 legitur.

litterae *h* saepe in isdem scripturis simillima est:¹³ scilicet, si fortasse scripsit quis scribarum aliquid scripturae *adbotau*i simile pro *aduocau*i, facile erat scribis similitudinem sensus apti quaerentibus postea hanc uocem in *adhortau*i corrigere. In clausula sic ditrochaeum habebimus, quo saepe Cicero utitur. De sensu uerbi cf. *OLD* s.u. *aduoco* 1 d “to call upon to participate in (an activity), summon to”, de structura uero (quamquam non omnino eodem sensu uerbo adhibito in his exemplis, quia semper praeter actionem ipsam de adueniendo aliquo agitur, – fortasse de poeta hic loquens Cicero, etiamsi in syntaxi prorsae orationi propria, sensum dedit uoci poetis magis usitatum) cf. Cic. *Att.* 12. 18 a. 2 *non aduocau* ad *obsignandum*, Liu. 2. 57. 2 *ad consultandum aduocabantur*, Quint. *Inst.* 12. 1. 24 *qui ad defendendas causas aduocatur*, Quint. *Decl.* 258. 4 *ad signandum aduocatus*, Frontin. *Strat.* 3. 2. 10 *ad dirimendum id iurgium aduocatis*.

Pro Caelio 18

Quo loco possum dicere id quod uir clarissimus, M. Crassus,
cum de aduentu regis Ptolemaei quereretur, paulo ante dixit:
utinam ne in nemore Pelio...

Ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret:
nam numquam era errans
hanc molestiam nobis exhiberet,
Medea animo aegro, amore saeuo saucia.

Aemilius Baehrens de uoce *liceret* ita scripsit: “Restituas ‘licet’, quod respondet illi ‘quo loco possum dicere’; inducere archetypi scribam coniunctiui circumiacentes ‘quereretur’ et ‘exhiberet’”.¹⁴ Non recipiunt tamen hanc coniecturam editores recentes, et in ultima editione Teubneriana scribit de ea T. Maslowski: “[A]t alia erat Ciceronis, alia Crassi causa”¹⁵ et ad Wageningii commentarium lectorem refert, ubi haec inuenimus: “[N]on legendum est *licet*, ut Baehrensius uolebat;

¹³ Sc. non tantum in minusculis litteris, sed etiam in scripturis cursiua uetere Romana et semiunciali. Cf. e.g. Plin. *NH* 6. 149 *hattan(a)e* DR, *battane* d^x, 6.158 *ethraui* D (?) R, *etbraui* F.

¹⁴ Baehrens 1884, 44.

¹⁵ Maslowski 1995, 73.

irrealis enim ita explicandus uidetur: si uellem, mihi potius quam Crasso *liceret* plures uersus, qui ad Clodiam deflecti possent, ex illa tragoedia laudare”.¹⁶ Scilicet uarie, si recte eos intellego, Maslowski et Wageningen formam explicant: ultimus certe coniunctiuum irream illo “si uellem” subaudiendo explicat (quod uix persuadet: et addit uersus Cicero, et nullo modo indicat se nolle id facere), primus uero ita intellegere uidetur: “si Crassus essem, *liceret* mihi”. Sed (praeter id quod fortasse *licuisset* Cicero diceret) dubium mihi uidetur adhuc ex Crassi ore loqui hic Ciceronem. Crassus enim, qui ante eum Caelium eodem die defendebat, uersum ex *Medea exule* Enniana eo sensu laudauit, ut Ptolemaei regis Romam aduentus, propter quem et Dionis philosophi mors Caelio obiecta occurrit, origo omnium malorum appareret. Cicero uero ad conductionem aediculae in insula P. Clodii in Palatio prope domum Clodiae (*Cael.* 17–18) eundem uersum optime referri dicit, quia omnia mala Caelio ex Clodia prouenire arbitratur, nec eum tantum uersum, sed et sequentes, ubi amor Medae describitur similis amori Clodiae (cf. quod dein eodem capitulo dicit: *Ostendam hanc Palatinam Medeam eamque migrationem adulescenti causam siue malorum omnium, siue potius sermonum fuisse*). Vix ergo in Crassi loco ei *liceret* eos uersus addere, sed potius in suo. Itaque recte puto monere Baehrensium de causis corruptionis, sed malim in *liceat* corrigere: facilius enim imaginari possum scribam, qui coniunctiuum uidens non eiusdem temporis, cuius circumstantes, illis eum assimilauerit. De locutione autem cf. e.g. Cic. *Flacc.* 61: *Liceat haec nobis, si obliuisci non possumus, at tacere, liceat mihi potius de leuitate Graecorum queri quam de crudelitate, Rab. Post.* 17: *Qua re aut iudici mihi non esse liceat, aut lege senatoria non teneri.*

Pro Ligario 24

Quaero: quid facturi fuistis? Quamquam quid facturi fueritis dubitem, cum uideam quid feceritis?

Certe in hac ultima sententia nolebat Cicero dicere se reuera dubitare quid facturi fuerint Tubero et pater eius, si in litus Africae admissi

¹⁶ Wageningen 1908, 63.

essent, qua de causa editores interrogationis signum in fine ponere solent, ut sit *dubitem* coniunctius dubitativus. Sed fortasse magis Latina erit locutio, si coniciamus post *quamquam* alterum *quid* propter haplographian excidisse: *Quamquam* <*quid*>, *quid facturi fueritis, dubitem...* Cf. e.g. *Ou. Pont.* 3. 9. 19 *quid enim dubitem tibi uera fateri?*

Philippicae 2. 69

Frugi factus est: illum suam suas res habere iussit, ex duodecim tabulis clavis ademit, exegit.

Εἰρωνικῶς describit Cicero Antonii a Cytheride discessum quasi legitimum diuortium sit,¹⁷ sed hoc concludens *exegit* (*OLD* s.u. 1c: “to divorce (a wife)”, *TLL* 5. 2. 1450. 39–48) duriusculum et superfluum uidetur. Eandem sententiam laudans Nonius Marcellus uocem *forasque* addit ante *exegit* (*Non.* 291 M, p. 449. 8–9 Lindsay), et D. Lambinus eam lectionem paululum mutando *foras exegit* coniecit¹⁸ (cf. e.g. *Plaut. Aul.* 414 *itaque omnis exegit foras*), sed debito sensu non est usitata locutio. Fortasse potius glossema in contextum irrepsit περιφράσεις Ciceronianas explicans.¹⁹ Nota et alibi in hac oratione similiter glossemata plane saepe irrepere: talis est e.g. in eodem capitulo uox *tricliniis*, uocem *conclauibus* explicans (*pro conclauibus popinae sunt* Halm,²⁰ quem secuntur editores hodierni: *pro conclauibus popinae triclinis sunt* V : *pro tricliniis popinae sunt* D), in capitulo 68 uox *spolia*, uocem *rostra* explicans (*illa in uestibulo rostra cum aspexisti* Orelli,²¹ quem nunc sequuntur Ramsey et Magnaldi,²² recte, ut puto: *illa in uestibulo aros trans polia cum aspexisti* V : *illa in uestibula rostra spolia cum aspexisti* D), in capitulo 84 uox *nausiet*,

¹⁷ Ramsey 2003, 259–260.

¹⁸ Lambinus 1577, 85.

¹⁹ Quod ad clausulas pertinet, ditrochaeum sic pro cretico cum trochaeo habebimus, utrumque in Cicerone legitimum.

²⁰ Halm 1875, 93, 121–122.

²¹ Orelli 1826, 475–476.

²² Ramsey 2003, 64, 258; Ramsey–Manuwald 2009, 120; Magnaldi 2008, 52.

περίφρασιν *faciat quod in porticu Minucia fecit* explicans (*modo ne faciat quod in porticu Minucia fecit* Pluygers,²³ quem nunc sequuntur Ramsey et Magnaldi,²⁴ recte, ut puto : *modo ne nausiet, faciat quod in porticu [-um V] Minucia fecit* codd.), item in eodem capitulo 84, si recte iudicat D. R. Shackleton Bailey (et mihi quidem uidetur recte iudicare),²⁵ uerba *ubi rhetoris sit tanta merces*, quae περίφρασιν *ubi campus Leontinus appareat*²⁶ explicant (*ubi campus Leontinus appareat* Shackleton Bailey : *ubi rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat* D : *ubi rethoris sit tanta merces, id est, ubi campu [sic] Leontinus appareat* V). In omnibus his locis debet glossator antiquus fuisse, quippe qui sat multa de antiquitate sciret et sententias non ita faciles intelligeret.²⁷

Mikhail Shumilin

*A. M. Gorky Institute of World Literature, RAS;
National Research University Higher School of Economics;
The Russian Presidential Academy
of National Economy and Public Administration,
Moscow*

mvshumilin@gmail.com

²³ Apud Cobet 1881, 143.

²⁴ Ramsey 2003, 69, 283; Ramsey–Manuwald 2009, 136; Magnaldi 2008, 60.

²⁵ Shackleton Bailey 1986, 385. Ante eum aut *id est* aut *id est ubi campus Leontinus appareat* cum J. F. C. Campio solebant delere editores, et nuper quoque hoc ultimum recepit Magnaldi 2008, 60. In opusculo Magnaldi 2002, 66 n. 19 sic respondit illa uiro docto Anglico: “[L]’abilità degli antichi glossatori delle *Filippiche* a cogliere le allusioni ciceroniane, richiamando in ottimo latino i passi interessati, induce a condividere l’ipotesi che *id est ubi campus Leontinus appareat* sia una chiosa”. Videtur tamen, si sic intepretatur, glossator locutionem non ita obscuram per aliquid multo obscurius explicasse.

²⁶ De terra immodice uasta quam Antonius magistro suo rhetori Sex. Clodio in Sicilia donauit agitur.

²⁷ Cf. Müller 1876 et praesertim Magnaldi 2002, ubi addit aliquot exempla locorum ubi fortasse in contextum orationum Philippicarum glossemata irrepserunt.

Opera laudata

- R. G. Babcock, “Half-Uncial”, in: F. T. Coulson, R. G. Babcock (edd.), *The Oxford Handbook of Latin* (Oxford 2020) 109–114.
- A. Baehrens, “Ad Ciceronis Caelianam”, *Revue de philologie* 8 (1884) 33–54, 170.
- K. Busche, Anz. von Clark 1911, *Wochenschrift für klassische Philologie* 29 (1912) 342–349.
- S. M. Cerutti (ed.), *Cicero, Pro Archia Poeta oratio* (Mundelein 2006).
- A. C. Clark, *M. Tulli Ciceronis Orationes. Pro Tullio; Pro Fonteio; Pro Sulla; Pro Archia; Pro Plancio; Pro Scauro* (Oxonii 1911).
- C. G. Cobet, “Ἀπομνημονεύματα Guilielmi Georgii Pluygers. Pars tertia”, *Mnem.* 9 (1881) 113–148.
- J. De Keyser, “The Descendants of Petrarch’s *Pro Archia*”, *CQ* 63 (2013) 292–328.
- J. De Keyser, T. Deneire, “A New Stemma for Cicero’s *Pro Archia*”, *Eikasmos* 24 (2013) 193–208.
- F. Drechsler, “Zu Cic. *Arch.* XI, 28”, *Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien* 36 (1885) 587–588.
- K. Halm (ed.), *Ciceros erste und zweite Philippische Rede* (Berlin 1875).
- K. Halm, G. Laubmann (edd.), *Ciceros Reden gegen L. Sergius Catilina und für den Dichter Archias* (Berlin 1900).
- H. T. Karsten, *Spicilegium criticum* (Lugduni Bataurorum 1881).
- H. Kasten (ed.), *M. Tulli Ciceronis Scripta quae manserunt omnia 19: Oratio pro P. Sulla; Oratio pro Archia poeta* (Lipsiae 1966).
- D. Lambinus (ed.), *M. Tullii Ciceronis Opera omnia quae exstant* (<Lugduni> 1577).
- G. Magnaldi, “Lezioni genuine e glosse nelle *Filippiche* di Cicerone”, *Lexis* 20 (2002) 61–78.
- G. Magnaldi (ed.), *Le Filippiche di Cicerone* (Alessandria 2008).
- T. Maslowski (ed.), *M. Tulli Ciceronis Scripta quae manserunt omnia 23: Orationes in P. Vatinius testem, pro M. Caelio* (Stuttgartiae–Lipsiae 1995).
- O. Müller, “Glosse im Cicero”, *Hermes* 10 (1876) 119–120.
- C. F. W. Müller (ed.), *Ciceros Rede für den Dichter A. Licinius Archias* (Leipzig 1897).
- H. Nohl (ed.), *Ciceros Rede für den Dichter Archias* (Leipzig 1894).
- W. Olszaniec, “Cicero, *Pro Archia* 28: *ad perficiendum fadortavi*”, *CQ* 60 (2010) 254.
- I. C. Orelli (ed.), *M. Tulli Ciceronis Opera quae supersunt omnia ac deperditorum fragmenta* II. II (Zurich 1826).
- J. T. Ramsey (ed.), *Cicero. Philippics I–II* (Cambridge 2003).
- J. T. Ramsey, G. Manuwald (edd.), *Cicero. Philippics 1–6* (Cambridge, Mass. – London 2009).

- J. S. Reid (ed.), *M. Tulli Ciceronis Pro A. Licinio Archia poeta oratio ad iudices* (Cambridge–London 1891).
- K. Rzepowski, “*Pro Archia* § 28. Colometry and Textual Criticism”, *Acta Antiqua Academiae Scientiarum Hungaricae* 47 (2007) 341–348.
- D. R. Shackleton Bailey (ed.), *Cicero. Philippics* (Chapel Hill 1986).
- P. Stotz, *Handbuch zur lateinischen Sprache des Mittelalters III: Lautlehre* (München 1996).
- R. Stürenburg (ed.), *M. Tulli Ciceronis Oratio pro A. Licinio Archia poeta* (Leipzig 1839).
- I. van Wageningen (ed.), *M. Tulli Ciceronis Oratio pro M. Caelio* (Groningae 1908).
- J. E. G. Zetzel, *Critics, Compilers, and Commentators: An Introduction to Roman Philology, 200 BCE – 800 CE* (Oxford 2018).

In the article, a set of emendations is proposed for the text of Cicero’s speeches. In *Pro Archia* 28, a *locus vexatus*, it is proposed to read *aduocauit* instead of the manuscript reading *(ad)(h)ortauit*. In *Pro Caelio* 18, a conjecture *liceat* instead of the transmitted *liceret* is proposed. In *Pro Ligario* 24, the recommended reading is *Quamquam <quid>, quid facturi fueritis, dubitem...* In the second *Philippic* 69 it is proposed to delete *exegit*.

В статье предлагается набор эмендаций к речам Цицерона. В много обсуждавшемся месте *Pro Archia* 28 предлагается вместо рукописного *(ad)(h)ortauit* читать *aduocauit*. В *Pro Caelio* 18 вместо парадосиса *liceret* предлагается читать *liceat*. В *Pro Ligario* 24 дается рекомендация читать *Quamquam <quid>, quid facturi fueritis, dubitem...* В *Philippicae* 2. 69 предлагается удалить слово *exegit*.

CONSPECTUS

Carolo Lucarini quinquagenario	5
P. J. FINGLASS	
Poem-Division in Sappho's Papyrus Fragments	9
TATIANA KOSTYLEVA	
Eur. <i>IT</i> 288: Why Not the Lungs?	32
FILIPPOMARIA PONTANI	
Allusions in Euripides' <i>Electra</i>	36
GAUTHIER LIBERMAN	
<i>De Bucolicorum Theocriteorum et Maronianorum aliquot</i> <i>locis disputatur</i>	46
LUCIA PRAUSCELLO	
The Use of <i>πυρόω</i> in the Septuagint, and its Value for <i>Esther</i> , Addition D 5	67
ROBERT A. KASTER	
A New Edition of Cicero's <i>Tusculanae Disputationes</i>	83
MIKHAIL SHUMILIN	
In orationes Ciceronis emendatiunculae	98
GIOVANNI ZAGO	
Arte allusiva in Tibullo, 2. 2. Un esercizio di lettura	106
ANTONIO STRAMAGLIA	
... in <i>alium orbem terrarum delatos</i> (Petron. 1. 2)	113
WALTER LAPINI	
Come farsi amico il giudice (nota a Caritone VI, 7, 11)	119

DENIS KEYER	
Juvenal 6. 422–423: Female Genital Massage?	128
TIZIANO DORANDI	
Gli <i>Excerpta</i> della <i>Classis C</i> dell' <i>Ad se ipsum</i> di Marco Aurelio ...	136
MICHAEL D. REEVE	
Editing Porphyrio: A Cautionary Tale	150
THOMAS RIESENWEBER	
Zu einigen Stellen in der <i>Ars Rhetorica</i> des Consultus Fortunatianus	169
Keywords	200